



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An Missa sit sacrificium singulare, impetrans remissionem peccatorum. tit.
118

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

AN MISSA SIT SINGVLARĒ
sacrificium, impetrans remissionē peccatorū.

TITVLVS CXVIII.

Primò, solum vnicum est sacrificium, id est, crucis, quòd meruit toti mundo sic remissionem peccatorū, vt quoties peccator cupit illā & indiget, tunc ibi quarat: Nam ipse est propitiatio pro peccatis nostris &c totius mundi, 1. Ioan. 2. Et de plenitudine illius accipimus omnes, Ioan. 1. In nulla ergo re, sacrificio aut opere acquiritur salus, effectiuè, & tantquam à causa, nisi ab illo vnicò sacrificio: & remissio nunquàm separatur à tali sacrificio, &c nec alicui rei tribuitur, sed soli sacrificio crucis referuatur.

Secundò, In Missa idem corpus & sanguis est, & offertur, quale fuit in cruce, & iam residet in cælo, licet alio modo, non mortali aut pœnali, sed spirituali & commemoratiuo modo. Verba consecrationis mutant panem in corpus, & vinum in verum sanguinem Christi: ergo sic est in sacramēto, sicut surrexit: offertur aut non sic, vt occidatur, sed ad memoriam mortis eius, qua semel seipsum obtulit pro nobis. Et ibi non expectatur, vt Missa mereatur remissionē, sed petitio & medium est, vt nobis distribuatur beneficium, quod in cruce semel est impetratum. Non ergo nouum aut aliud, vel singulare est sacrificium Missa, pro redemptione atque remissione salutis atque peccatorum, sed vnum semper manet sacrificiū.

Duo sunt sacrificia, vnum tamen sunt in substantia, id est, vnum & idem corpus, sed in modo offerendi diuersa: quia primum est cruentum & pœnale in cruce, alterum mysticum in altari & spiritualiter, non pœnaliter, offertur &c. solum quòd hinc in Missa alio modo offertur, quàm in cruce. Nam in cruce meruit remissionem, in Missa distribuitur. Non ergo Missa

V u 2 meretur

meretur remissionem peccatorum, sed petitio est, ut distribuatur propter Christum, Agnus Dei &c. Ioh. 1.

Tertiò, dicitur autem Missa sacrificium, quia memoriam tractat sacrificij crucis. Etiam dicitur sacrificium verum, quia Christum, qui est verum sacrificium, pro toto mundo patri offert pro misericordia nobis distribuenda. Dicitur sacrificium laudis, quia in ea laudamus Deum, & gloriam gratiæ suæ, Ephe. 1. Dicitur sacrificium gratiarum actionis, quia Deo in illo gratias agimus pro magna gratia & misericordia.

Quartò, sic sunt multa alia sacrificia communia. Primò, ut præbeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placetem &c. Rom. 12. Sacrificium labiorum, Ose. 14. Heb. 13. sacrificium cordis contritum, Psal. 50. spiritus contribulatus, Philip. 4. Sacrificium iustitiæ, id est, cessare à peccatis. At nullum horum est sacrificium propitiatorium, præter unicum Christi sacrificium.

Quintò, Habet ergo fidelis duplex sacrificium. Alienum, i. Christi, quod per fidem tollit peccata, & unicum est. Deindè proprium, nempe omne opus bonum, quod facimus ad Dei gloriam, aut proximi utilitatē. Sic est oratio, ieiunium, elemosyna, tolerantia, persecutiones, laudes, gratiarum actiones, & id genus alia, quæ omnia etiã dicuntur sacrificia, & hostiæ spirituales, 1. Pet. 2. &c. Sic offerimus Deo preces, offerimus & cõmendamus Deo amicos nostros, nullum tamen occidimus. Hæc sententia catholica est, ideo nõ sunt curanda conuicia hæreticorũ. Non est ergo Missa novum sacrificium &c. quod ex opere operato tollit & meretur iustificationem, &c. sicut de catholicis sentiuntur hæretici.

QVID SIT POENITENTIA.
TITVLVS CXIX.

Tria